

607

---

DE SACRA DOMINI NOSTRI  
JESU CHRISTI COENA

DISPUTATIO SECUNDA THEOLOGICA ET  
*Scholastica contra Sacramentarios.*

THESIS PRIMA.



*V*idimus superiori disputatione veram sententiam  
& fundamenta, de substantiali presentia, mandu-  
catione & bibitione corporis & sanguinis Christi,  
cum pane & vino, in sacra Domini cæna: exige-  
mus nunc ad divinæ veritatis normam dogma  
Sacramentarium.

2. Qui etsi hodiè molliter loqui didicerunt, linguaq; D.  
Lutheri & phrasi haud raro utuntur, adeoq; videri volunt, tueri ve-  
ram corporis & sanguinis Christi in sacra cæna presentiam: tamen  
illa tam non potest consistere cum metonymia ipsorum sacramenta-  
ria (signati pro signo, & contra) quàm neq; sol cum tenebris, neque  
Christus cum Belial.

3. Nostri igitur officii est, in re tanti momenti, perspicuis &  
solidis argumentis demonstrare; quicquid à Sacramentariis profer-  
tur de vera corporis & sanguinis Christi in sacra cæna presentia, &  
manducatione & bibitione, illud omne comparatum esse, ad decipi-  
endum simpliciores, & pugnare cum ipso fundamento doctrinae Sa-  
cramentariae.

4. Clara igitur voce affirmamus, Sacramentarios non  
credere, neq; verò salvis suis hypothésibus credere posse,  
vera esse, quæ secundum Dei verbum, in articulo 10. Au-  
gustanæ Confessionis, & articulo sexto Scmalcaldico,